

~~L. v. gr.~~

1) Ludwig, Fr. Petrus

nebst 10)

TURRIS NITROSA
BEROLINENSIS,

sibi & aliis nocens,

*& pyrio pulvere suo
 conflagrata,*

Carminè Heroico descripta

a
JOH. WILHELMO PETERSENIO,

SS. Theol. D. *Le 82*

BEROLINI,
 apud Joannem Andream Rüdigerum, 1720.

FUnestos BEROLINI ignes, turrimque superbam,
Surgentem coelo turrim, globulisque timendis,
Et pice flagranti, nitroque & sulphure plenam,
Queis hostis perdendus erat, non civis & infans,
Hos Erebi atratos ignes tantamque ruinam,
Qua cecidit schola cum pueris juvenesque senesque,
Ipsaque Tempa suas jam jam exhorrentia flammæ,
Attoniti canimus, lacrymisque litamus obortis.

Jamdudum cives alto suspiria corde
Duxerunt, fidisque eructavere querelis,
Plorantes: nimium nobis urbique timemus,
Dum gravis in nostrum fabricata est machina; damnum,
Nobis, ah! nobis est proxima turris, ut olim
Mantua erat miseræ nimium vicina Cremonæ,
Væ! domibus nostris, væ! proxima machina tectis!
Ne porro ingemerent, cavit REX PRUSSICUS, atque hanc
Materiam nitri procul hinc discedere jussit,
Inque alium migrare locum, sedemque subire,
Qua nova sub patulo fundata Colonia coelo,
Extra ubisque aulaeque vias: jamque omnis in illo
Miles erat, multisque etiam transacta diebus
Cura fuit, quando thecarum plurimus inde
Ablatus numerus cum pixide bombardarum,
Ut minima illorum pars sit relictæ globorum,
Nitratæque picis, cunctis mirantibus, illos
Tam paucis pyrio sublatis pulvere muros.

Lux ea tristis erat, nigro signanda lapillo!
Bis mille a nato Christo si dempseris annis
Annos bis centum cum septuaginta decemque,
Atque die Augusti mensis decima atque secunda,
Ferme hora decima sunt facta incendia turris.
Atra dies! neque te Titan, neque Cynthia norit!
Illa dies abeat Grajas orfura Kalendas!
Si redeat, Fastis illa inscribatur iniquis,
Iratumque Deum monstret, qua concidit alma
Spes proles, magnoque gemunt sub pondere matres.

Sentio jam, quod fatidici plorastis Amici,
Sentio quæ toties, ni mens non læva fuisset,
Non vani nobis olim dixere Prophetæ,
Urbi instare aliquod nostræ feralius Astrum.
Hocque anno binæ, coelo bipatente, cohortes
Non procul a Werba, vetus illa ubi Marchica terra,
Sunt visæ a dextra venientes atque sinistra,
Digladiari armis, & se demittere tandem
In campum patulum frumento divite plenum.
Nubibus auditi fremitus, & tympana & enses
Inter sese acui, multis cernentibus illud
Portentum, & lævum patriæ reputantibus omen.
O Superi! talem a nobis avertite cladem!
Sis Regi, regnò, ac urbi bonus atque benignus,
Propitiusque illi, nomen cui Marchia, terræ,
O Deus! alme Deus! si forsan sydere lævo
Arctois, aliisque plagis ferus ingruat hostis,
Pro nobis pugnes, illi sis hostis in hostem.

Interea REX sese armat, fortesque cohortes
Colligit, exercetque viros, ne deside vita
Marcescant, reddantue pigras longa otia turmas.
Concurrunt patulo in campo, lustratur ubique
Militia, & Rex ipse jubet, quæ cuique phalangi
Sit statio, quo quæque loco stet turba decoro.
Mox simulac toti fuerant data signa cohorti,
Uni omnis submissa phalanx, omnesque salutant
Regem illum galeæ, ac augustum Numen adorant.
Cunctorum huc oculi figuntur, & omnis in unum
Intentus Dominum, nutu signisque movetur.
Post, ubi fatalis sequeretur læva ruina
Turris, & infausto premerentur tecta tumultu,
Non potuit nostrum non tanta exustio Regem
Afficere, ut facile credas, ut torserit illum,
Conspecta subito flamma, quamque usserit ipsum,
Tot plorare nurus, natos ululare peremptos
Matres, tot juvenes stratos jacuisse, senesque.
Hæc illum jam cura coquit, versatque Dynastam

Improvisa mali facies, Iqui totus in illo,
Quo tantas reparet clades, &, Numine dextro,
Istam insperatam possit sarcire ruinam.

Hoc opus, hic labor est, hic omnis cura recumbit,
Sunt quibus hoc volupe est, si gazophylacia quærant,
Si niteant aulæa novis ornata lapillis,
Si Camera igniti radient adamante pyropi,
Et nitidum intendat pretiosus jaspis achatem;
Ast ea non curat valde, cuncta aspicit Heros,
Non capitur, gazisque nihil nisi lumina præbet.
Ferreus huic cordi est aries, ubi machina surgit,
Et telis balista ferox, & miles & ensis
Expertique Duces, & bellandi arte periti,
Ac bombardarum series, lato ore minantum,
Hæ gazæ placuere, hæc propugnacula cordi,
Hæc, si oculus Domini vultu tueatur amico,
Hæc patriam servant, arcentque a moenibus hostem.

Hic amor in patriam, & reparandæ cura ruinæ,
Etsi magna urbi moestæ solatia præbent,
Infixus tamen ille dolor manet, atque manebit
Urbs donec fuerit, tantarum oblivio rerum
Non capiet cives, qui totis mentibus horrent
Exitium, vivisque animis incendia cernunt.
Vah! quanti auditi, turri rumpente, boatus!
Quos scopulos tormenta rotant! vah! quanta cavernas
Vis glomerat! dum fonte furit Vulcanius ignis,
Qui viso per saxa ruens rimosa meatu
Dum scrutatur iter, libertatemque reposcens
Lurida multivagis populatur flatibus antra,
Quodque intus latuit nigro sub corde, revelat,
Atque efflare foras molitur, tollere flammæ,
Moles ejaculari, & mittere pondus in auras.
Sic olim Enceladus, qui saucia membra revinctus
Spirat in exhaustum flagranti pectore sulphur,
Et quoties detrectat onus cervice rebeli
In dextrum laevumque latus se vertit, & omne

Moxque ruant, crassumque ferant caligine fumum.
Inde tremit tellus, quassantur protinus urbes,
Saxa volant, ceu penna levis, tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant, fugit accola quivis,
Atque ipsae aligeræ volucres procul inde recedunt.
Quemnam tunc animum indigenas habuisse putandum est?
Horresco referens, quanta undique & undique circum
Lamenta audita, & concusso pectore planctus.
Talis erat facies Trojæ miseranda vetustæ,
Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerent Danaï, tunc vox erat omnibus una:
Nos miseri! fuimus Trōes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum, quæ spes super ulla salutis?
Sic Rachel quondam lacrymis ploravit obortis,
Tot pueros dulces crudeli funere mersos,
Cum quondam Herodes, missa petulante caterva,
Uno eodemque die prolem uno absorpsit hiatu.

Ante annos aliquot, cum sol pulcherrimus ille
Deficeret, fratrique suo contraria Phoebe
Iret, & ardentes radios averteret orbi,
Horrebat tellus, horrebant pascua, & omnes
Aligerum turmæ: mediâ tunc luce tenebras.
Ostendit nox facta suas, coeloque nitebant
Magnoprodigio Phœbi in caligine stellæ.
At fuerit grandis, (recolo hæc,) & panicus horror,
Desiit ille tamen cito, cum sua lumina Titan
Redderet, & nostrum reparatum lumine mundum
Aspiceret, gaudente Polo, tellure canente:
Ast nos continuis cruciant incendia curis,
Et dolor infixus residet novus usque medullis.
Grande etiam monstrum est, si conspicias impete magnum
Fervere Oceanum, quando Neptunus in antris
Sævitus agens, decimasque vides urgere procellas,
Tunc navi accelerant nautæ, ac operæ ordine spisso
Incumbunt, labor urget opus, sonat anchora versâ
Forceipe, & ingentes vigilant fervare carinas.
Hi firmant proram & puppim, cornum alter in alas

Explicat, & truncae præbent sua brachia navi.
Quin & foemineis patet ampla industria curis,
Vela suunt, telasque parant, ventisque secundis
Carbasa, & immensis intexta rudentibus aptant:
Ast hic nil opis est, solo cognoscere visu,
Non aditu tentare licet, nil foemina, nec vir
Hic valet, ex quo horrens tempestas sæviit ignis,
Qui rapido frustra fugientes impete sternit,
Exanimatque pios cives, & funera densat.

Posttravere homines hæc infortunia multos:
Semirutis ludæa gemit Synagoga fenestris
Cui facies Solymæ quondam miseranda recurrit
Quæ quondam Assyrio aut Latio flagravit ab igne
Horrendè concussa Ecclesia tota Gradivi,
Et parochorum ædes, languentùm triste virorum
Hospitium, ægrotis domus opportuna juvandis,
Invalidique ipsi læsi, partimque necati.
Sexaginta jacent passim pueri atque puellæ.
Ast aliqua ad Spream, quæ lavit lintea, saxo
Obruta, dimidio fisso capite, exspiravit,
Linteaque vicinæ tergens feralia morti.
Non procul a turri, vah! quanta potentia flammæ!
Coctilibus muris cinctas fax diruit aedes,
Non læso Duce, qui lapsa fornace petitus
Parte aliqua capitis, vita tamen ipse potitur.
Mox hora infauusta properans Pomerania postea
Tendit Stetinum, & lapides, quos turris adusta
Ejaculabatur, multo ceu grandine jacto,
Sensit inops, cursumque suum vitæ ipsa peregit,
Altero equo strato, vectoris brachio adempto,
Quassato capite, & curru, mirabile dictu,
Binis servatis, binis a strage peremptis,
Alter erat pictor, Pastor vix alter inunctus
Marchicus, irata destructus turre, fugacem
Vitam exhalavit, nullum venturus ad hostem.
Forte pererrabat famulus tonsoris in urbem
Ægrotam cupiens invisere, protinus ipse

Vulnere succubuit; matres tres occubuerunt
In Nosocomio, poterat quoque pastor in illo
Ipse peti, quem fuda Dei clementia servat;
Ait alius turrim insaufam dum ascendere tentat,
Ex improvifo pyrio de pulvere tactus
Interiit, fervato alio, qui pone secutus.

Sed quisnam innumeras clades, quas fecerit illa
Turris, commemoret vates? quis talia fando
Exprimat, immanem dederit, dum lapsa, ruinam?
Non aliter praegnans orco Vesuvius ignes
Cum parit, in superos saxorum effunditur imber,
Sulphureo rubet amne solum, flammisque rotantur
Viscera fulmineis, tonitruque revolvitur aether.
Parthenope concussa tremit, tremit obruta fluctu
Ipsa procul Prochyre nec se radicibus altis
Vesta tenet, tremit atque inum sub clade barathrum,
Sic furians flammis ultricibus intonat Aetna
Cum mugit, nitrumque simul cum sulphure ructat,
Et sic Hecla furit, quando cum parte soluta
Expanso ore fremit, flammisque eructat & iras,
Ac totam regionem amplam truculentior implet.
Sic furere incipiunt laxati turribus imbres,
Et caedem, Berlina, parant, jacet obruta flammis
Unaquaeque domus vicina, atque impete facto
Destruit obstantem murum, & sua castra revellit.
Ipsi balistae, mortaria solvere docti
Moenia difflare, & lata vim ferre ruina
Atque hosti, qui primus adest, ignemque necemque
Conficere, & crudo vindictam implere cruore
Sex illi pyrio vitam amifere tumultu.
Haec spectat Mariana Aedes, sentitque timorem
Non minimum, namque ignis in hanc adscenderatater,
Fragoremque ciēt, turbarum concio Templum
Deserit, atque suo premitur pars magna tumultu,
Dum properat foribus quis exire refractis:
Hanc Nicolai Aedes sentit quoque laesa timorem,
Et sibi quisque timet flammis latitare repostas.

Has strages inter varias, Deus ille Deorum;
 Qui memor antiquae bonitatis, prodit amorem
 Magnus amans hominum, cladem declinat ab illis,
 Cujus se media clementia monstrat in ira,
 Quaque manu gladium gerit, & ferit ipse timendus,
 Hac quoque tendit opem. Si tunc fera flabra fuissent,
 Et gravis armatus Boreas, vel nubifer Eurus
 Spirassent saevi commotis ignibus illis,
 Urbs tota in cineres abiisset tristis inanes.
 Sed venti posuere, Deus vento imperat aequus,
 Imperioque premit, vinculis & carcere frenat.
 Si quoque venisset, ceu fur de nocte resurgit,
 Omnia consternata, atque exanimata fuissent;
 Sed nunc in mediâ luce ignem suscitât idem,
 Inque die punit, spatiumque dat, ecce! furori.
 Expectat, mollitque animos, & temperat iras.
 Sic quondam Amoso prodit sua fata Prophetæ:
 Urere decrêrat Dominus, flammisque vocârat,
 Ut raperent urbem; jamque illa voraverat urbis
 Partem aliquam, hunc vates lacrymis rogat, obsecro, cessa,
 Obsecro, sancte Deus! quis enim succurret, & istam
 Eriget? est tenuis Jacob, & parvulus infans.
 Sopitus Dominus flammisque quiescere jussit,
 Audivitque preces. Sic noster Tutor amandus,
 Qui, quamvis ira commotus jusserrat igni,
 Ureret, haud dubio precibus mollitus anhelis,
 Commiserans nobis, non totam perdidit urbem.
 Magna quoque est bonitas, quod centum aut mille repostas
 Nitrorum cistas flammis subtraxerit ante
 Quam furere inciperent nitrati pulveris ignes.
 Obone terrigenum custos, quis dicere laudes
 Differat? aut tantum quis non redamaret Amorem?
 Non finis ingenium tantos Tibi surgere motus,
 Quantis pro merito (nam nos peccauimus omnes)
 Culpa pianda foret, minor est Tua crimine poena;
 Quae furor aptârat, clementia detrahit arma,
 Sub virga pater es, satis est domuisse superbos.
 Discamus cuncti ingenium, moremque Parentis,

Tam sancti, tam longanimi; nam hæc lectio nostra
 Profuerit nobis, meliores reddimur illa,
 Quam si rimemur, quonam incensore profectus
 Ille ignis, num miles? an haud bene providus alter?
 Aut aliquis, nostro qui sit suppositus ab hoste?
 Ecce solliciti flammæ ipsi hæretis Amici,
 Intentis oculis? Causæ procul este secundæ,
 Quas vel Aristoteles urget, vel Physicus alter,
 Qui, quæ oculis cernunt, vel palpant, sensibus hærent,
 Absentemque Deum sistunt, scriptura supremo
 Enti hoc attribuit, qui cuncta hæc efficit unus.
 Vis ergo veram flammæ hujus discere causam?
 Ipse in se omne capit, seque in se continet uno,
 Ipse omne est, quodcunque vides in luminis oras
 Exire, & quodcunque ætas fugientibus annis
 Abstulit, & feri valeant spectare nepotes,
 Ille tamen nihil est rerum, quas aspicit ætas,
 Aut quæ sunt, aut quæ longo post tempore fient
 Munere naturæ, vel temporis intervallo,
 Nam supra tempus, supra est, quod concipis ipse.
 Quis neget ergo? Deus peragat quod & omnia solus?
 Qui bona det iustis, fontes qui plectat iniquos?
 Ipse est, diluvium qui primo induxerit orbi,
 Ipse est, qui Sodomam, qui sustulit igne Gomorrhæam.
 Perpluit a Domino Dominus, pluit ignis ab igne.
 Igne hoc arsisit Solymæ, periistis Athenæ,
 Troja suas sensit iusto hoc sub iudice flammæ,
 Et quotcunque vago sunt facta incendia mundo,
 Interdum se oculis divina potentia nostris
 Sic manifeste infert, ut quilibet sentiat illam,
 Et digitum observet magni immensique Jehovæ.
 Vidisti, Cæsar, superos, quid vota piorum
 Præstiterint, quando ille tuus succumberet hostis.
 Laus ibi nulla Ducum, nam flammeus imber in hostem
 Decidit, hunc dorso trepidum fumante ferebat
 Ambustus Sonipes, hic tabescente solutus
 Subsidit galea, lique factaque fulgure cuspis
 Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.
 Illa tuæ, Cæsar, viderunt signa cæteræ.
 Sic etiam primi sub tempora Maxmiliani
 Prodigio ostendit vires, & in omine miro
 Attoniti inspeçant homines, passimque stupentes
 Scripta gerunt puro delapsa in signia cælo

B

Sana

Sangui nolentia crucis, claris memoranda triumphis,
Effigies late spectatur, spongia, flagra,
Christi isthæc tunica inconsutilis intima, clavi,
Cernuntur multo madefacti sanguine, telum,
Quod sacram sævo discreverat impete costam,
Pingitur excubitor crista spectabilis ales,
Ter geminique micant tali, quos inclyta Christi
Jecerat innocui sortitus tegmina miles.
Hoc Cæsar vidit, vidit Germania testis.
Sive audem videas, seu non, tamen undique præsto est
Summus in orbe Deus, dispensans singula rerum.
Igne hoc flagravit nostra hæc Berolinica turris,
Deturbata fuit, mortalis nescia fraudis
Flamma, hoc judicium solus facit omne supremus.

Credite mortales, non hæc sine Numine sunt,
Cuncta regit Deus ille Deus, qui singula curat,
Quique animis medius, fibrisque intervenit imis,
Et quæ quisque sibi loquitur, vel cogitat, audit.
Non ullum est vel in orbe malum, vel in urbe periculum,
Quod non ille facit, semper sanctissima patrat,
Atque malum in melius vertit. qui rebus agendis
Influit, & sanctis dispensat singula curis.
Sunt aliqui, qui cum proni fateantur, adesse
Numen in inspectis pulchro & tanto ordine stellis,
Convicti sunt esse Deum, qui sædera mundi,
Præscriptosque maris fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices contemperet unus,
Non interrupta qui lucida lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igne
Compleri, solemque suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Et quis tam demens, qui fata æterna negaret?
Tum pictam aspicias tabulam, atque exultare Magistrum
Certum aliquem haud dubites, scita qui finxerit arte,
Pocula num spectes cælata, atque aspera signis,
Nonne statim clames, hoc est opus Alcimedontis?
Hæc cunctis inscripta sedent, neve illa negabit
Mente valens, quicumque pius, tamen illa negarunt
Parva Deum curare, & eo demittere sese
Rerum cunctarum Dominum, his rationibus usi,
Ista minus tantum tam parva idecere supremum.
At quænam hæc ratio? quænam hæc collatio vestra?

Quin imo non esset tantus nisi parva notaret,
Singula ni sciret, non hic omniscius esset,
Ni rerum minimarum Autor tam providus esset,
Dum minima hic curat Prætor. ter maximus audit.
Ast factum tamen est, cum se hæc tentatio magna
Sanctorum illabens inferret mentibus ipsis,
Qui, cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerent, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, animo nutare vicissim
Cœperunt, causæque viam non sponte secuti
Alterius, vacuo qui currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem mentis cordisque tumultum
Pœna inflicta malis, dum sancta intrare dabatur
Atria, & injustis pœnas, & præmia sanctis
Viderunt collata DEO, vel danda revolvunt.
Hinc quoscunque viros longa experientia fecit
Solertes, norunt, quibus optima Numina miris
Utantur mediis, pravis ad flagra resumtis,
Queis sanctos velut igne probant, ut in ignibus aurum
Seque sibi efficiant dignos, puerosque reſingant.
Unde nihil dubii est, quin maximus Arbiter orbis
Hoc rerum articulo, & medio vigilaverit igne,
Quo sine nil factum est unquam, sed providus ipse
Magno consilio & cura sanctus direxit Olympus.
Nil fit fortuito, non hæc temeraria facta
Quæ fiunt, sine EO non passer ab arbore caesa
Decidit, aut ulli numerati in fronte capilli.

Discernit, quos ille petat, quibus ipse benignus
Connivere velit, scit una in sede morantes,
Aut mola in una, aut qui spatiantur in agro,
Hunc servare, illum properanti addicere morti.
Ne quæras, cur hunc servavit, & abstulit illum?
Convenit haut natis, inquirere Patris in æta,
Numine tam grandi discat sese esse minorem.
Sol, qui flammiferis radiis, & se æthere toto
Spectari cupit, & terris se ostendit apertum,
Spectari tamen ille negat, si lumen in ipsum
Rectis intrœas oculis, atque intima lustras.
Non feret astrorum Princeps, perstringit ipse
Omnem oculorum aciem, & sensum spectantibus aufert.

Sat tibi sit Regem tantum novisse Deorum,
 Quantum jura sinunt, nolis inquirere præceps
 Consilium arcanum, nolis scrutarier illud.
 Multi, ubi dum flexa cæcæ rationis aguntur,
 In cursu fregere ratem, jacuere sub undis,
 Tutius impelles fragilem prope littora cimbam,
 Et prudens alto parces dare carbasa Ponto.
 Unde nefas, si forte velis inquirere, cur hos,
 Qui sedere uno in curru, quos ductor equorum
 Rexit, non omnes eadem trabs deflua tectis,
 Sed binos servans, reliquos prostraverit ambos?
 Hinc non inquiero causas queis sapius illa
 Horrida per totum sint facta incendia mundum,
 Aut cur flagrarit Berolinica turris ab æstu?
 An truculenta Ducum miseræ collectio plebis
 Ad bellum, cæsis hominum cum vulnere dorsis,
 Non placuit superis? medio quæ tempore pacis
 Ante gerit bellum in patria, quam videat hostem?
 Anne aliæ subsint causæ, cur sancta tonantis
 Justitia in tantas velox exarserit iras?
 Interea hoc certum est: Pietas non fuscitat ignes,
 Crimina pravorum sunt unica causa malorum,
 Ignis succendit tuus ille nocentior ignes;
 Crimina crimina sunt tanti tomenta furoris,
 Illa urgent Dominum, illa trahunt, sola illa laceffunt.
 Trux Venus in membris ardens, nocuusque Cupido,
 Qui damnoso illo nimium torretur ab igne,
 Et renes & corda coquit, versatque, trahitque,
 Materiam flammæ dedit, atque adduxit alendæ
 Mira hujus natura feræ, non ense, nec hasta
 Vincitur, inter equos, thoraces inter ahenos,
 Per galeas, conosque truces siue casidis usu
 Concita in hostilem victrix agit esseda turbam.
 Flamma latens venis Venus est, furor ossibus hærens,
 Hæc fera adulterium parit, incestusque nefandos,
 Stupraque, & igne scelus dignum, quo barbara quondam
 Abstulit immixtis sulphur quinqurbia flammis.
 Nunc lacus est, ubi tunc homines errare solebant,
 Et qua Pentapolis regio fuit, æquora lentus
 Pigra liquor vertit, qui mortua corpora sorbet.
 Illa quoque elatæ vesana superbia mentis
 Quæ tacitis ardens curis sublimia semper
 Mente agitat, humidoque sedet sub corde venenum,

Conte
 Inflato
 Ferre
 Imper
 Illa
 In coe
 Nitrat
 Illas in
 Nec te
 Auri sa
 Impro
 Hæc n
 Tartar
 Ungu
 Dent
 Sutra
 Quæ,
 Sola ju
 Laudib
 Hæc qu
 Effe De
 Hæc op
 Materi

Me
 Tanque
 Discite
 Instabili
 Equis
 Vix und
 Stetinu
 Credid
 Quid fa
 Baltha
 Evacua
 Atque
 Cum m
 Luce tu
 Quid ti
 Rustice
 Latus a
 Impleat
 S. rane
 Atque a



Contemptrix inopum, vultus elata severos;
Inflatoque rotans turgentia gutture verba,
Ferre nequit iuga, maiorem indignata, paremque;
Imperia usurpat, regnique libidine ferver,
Illa illa alarum stridente superbia motu
In cœlum ascendens, atque alto major olympo,
Nitrata turri similis, quæ his ignibus arsit,
Illas in cœlum flammæ ascendere fecit.
Nec te prætereo, mirum insatiabile monstrum,
Auri sacra fames hæc est, rerumque cupido
Improba, divitias amor infinitus habendi,
Hæc nummi sitis ardescens, immensa vorago
Tartareis emissa vadis, imitata rapaces
Unguibus Harpyas, armataque grandibus ora
Dentibus in gyrum, falcatis unguibus aufert
Stultra suos nunquam venturum servat in usus,
Quæ, quicquid non auget opes, averfa repellit,
Sola juvant, quæ lucra ferunt, sint cætera quamquam
Laudibus & pretio dignissima, cætera, sordent.
Hæc quoque venalem (tanti quis crederet Orcum?)
Esse Deum facit, & cœlestia munera ridet
Hæc opera, hi fructus, hæc gaudia mentis avaræ,
Materia hæc flammæ: vorat ignis avarus avaros.

Mortales! propera hac volitante per aëra flamma,
Tamque cito veniente, & prosternte quietos,
Discite quam fragilis, fallax, angusta, caduca,
Instabilis, fugiens nostræ sit portio vitæ.
Ecquis seu pictor fuerit, seu tonsor, & ille
Vix unctus Pastor, velque ipse auriga citato
Stetinum properans curru, quos sustulit ignis.
Crediderat sese vitam vixisse supremam?
Quid facis, ô magni princeps Babylonice regni
Balthasar, & multo spumantia pocula vino
Evacuas, cytharasque moves, & gaudia mîsces?
Atque Deosque Deasque tuas in carmine laudas,
Cum manus haud verito mortem tibi scribat, & illa
Luce tua, vita regnoque carebis adempto.
Quid tibi longævus promittis jugiter annos
Rustice, dives opum? quid inaniter horrea fingis
Larius ædificanda tibi, quæ messis, opima
Impleat, atque animæ dulcissima pabula portet?
Si tamen hanc vitam ventura nocte relinquis
Atque anima amittas, quæ major orbe, salutem?

Eu-

Euchro, qui in longum census disponis inanes,
Quem Tartesiacis nondum satiaret arenis
Congeries pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoii, cito te si vita relinquit,
Quid tibi profuerint tot divitis æris acervi?
Si promissa tibi fors esset Nestoris ætas,
Aut aliquot numeranda tibi sint lustra vel anni,
Ponere ea in lucro posses, & quarere nummos,
Queis fruerere, tuos, sed cum fugit ocyor Euro
Tempus, & effugiens volat, ut rota volvitur, ætas,
Et nescis quacunque die rapiare, vel hora,
Cur ergo, o rerum stultissime, tempora fingis?
Non unum superesse diem tibi diptera cœli
Nunciat, hac instant ipsa tibi funera nocte:
Cætera cujus erunt, quæ tanta legeris arte?
Ipseque cujus eris? tibi turris, ahenea, & ignis
Comburens turrim grandem sit pulpita grandis,
Illa tibi properam vel muta renunciet horam.

Vos vero, quibus ira Dei conspecta pepercit,
Longanimis, tam tarda nimis, nolite putare,
Hos solos peccasse homines, quos abstulit ignis,
Infantes vos esse viros, attendite quidnam
Dixerit ille Agnus mansuetus de Galilæis,
Quorum miscuerat libamina sanguine fuso
Pilatus: Soline, inquit, qui talia passi,
Sunt peccatores? numne octo decemque virorum
Turba ea sola fuit, quos Siloïtica turris
Obruit incautos, similis vos pœna manebit
Ni resipiscatis, ni vos convertitis ad me
Et si vel nullam videatis tempore vestro
Pœnam promeritam, Nemefinque nefanda malorum
Crimina plectentem, castigantemque malignos,
Magna tamen venit illa dies, quando ira Leonis
Qui prius agnus erat, ferveret, & impete mundum
Concutiet, tradetque neci, quando omne movebit
Et cœlum & terram, maria omnia, & omaia circum
Firmamenta orbis, quando compage soluta
Confracto sexto, fert ut Scriptura, sigillo
Secula tot mundi suprema cœgerit hora,
Cum sol in tenebras versus, cum luna ruborem
Sanguineum induta, horrendo sqallida vultu
Terrebit mundum, stellæque & fidera pasfim
Convexo firmata cadent, hominesque subantra ferarum

Seſe occultantes conſternabuntur, & audent
Dicere: Vos petræ, vos colles condite noſtrum
Omne genus, quando fratri contraria Phœbe
Indignata diem poſcet ſibi, totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit federa mundi,
Tunc iudex venturus erit, ferale ſedebit
Judicium, & ſancti tui hoc ſub iudice cernent.

Horreo, ſi memini, quando ingruet hora maligna,
Magna, horrenda, ingens, quinto ventura ſigillo,
De qua Apocalypſis, de qua Tharſenſis abunde
Commemorat, quæque ipſi pariter deſectio magna
Audit, ubi torvi crudelis cauda draconis
Ternam ſtellarum partem trahit axe ſupremo
Lapſuram in terram, qua, (ni divina vetaret
Illa Dei bonitas,) ſancti ipſi occumbere poſſent.
Horreſco, ſurguntque comæ, & vox faucibus hæret!
Quando homines video ſecuros vivere totos,
Ludere, vana loqui paſſim, ſaltare, potare,
Quamvis bella tonent, quamvis graſſetur egeſtas,
Ac hinc atque illinc tellurem Pontus inunder.

Sancte Deus! quando tandem nos pœnitet actis?
Quando erit illorum finisque aut meta malorum?
Numne hæc noſtra dies trifti ſub nocte jacebit
Perpetuo? plus exul erit? florere nocentes
Et torquere bonos videam? num turbida bella
Perpetuo in terris ſunt duratura, vel illa
Instrumenta necis, bombardæ, acresque ſagittæ,
Et pulvis pyrius, cuni, tormenta, ſecures?
Numque Antichriſtus fuerit ſemper, falſusque Propheta,
Ludicra ſigna ferens, nec non Babylonica mater?
Pœnarum non finis erit? num perſtet iniquum
Et deforme malum? & primæ contagio culpæ?
Sitne Tibi, o Bonitas, vitii natura coarva?
Cur maneat ſtirps illa mali teterrima? quæ te
Auſtorem ignorat, quæ Te nolente profecta?
Tu Sanctus, verax, juſtus, Te cuncta creante
Omnia ſancta Tibi fuerant, nonne omnia ſient
Sancta iterum? & pulchrum laudabunt omnia Numen?

Sed mihi jam Numen, quo agitante caleſcimus illis
Quæ ſitis reſponſa dedit, mox talia proferet:
Bellorum tandem funeſtorumque malorum

Finis



Finis erit, nec erant, nec erunt, neve usque futura.
 Cernebam quæ feci, & erant bona cuncta creata,
 Quæque ego non feci, mala sunt, non entia vera,
 Perque voluntatem propriam mala facta fuerunt,
 Causa suspensus mala mens, sejunctaque ab uno
 Appetiit regnare sibi. Sejunctio facta est,
 Desiit harmonia, & contentio lisque secuta.
 Inventum est medium, Mediator magnus inunctus,
 Qui peccatum in se tollens fœda omnia tollit,
 Absorbetque malum, proprio sed id ordine tollit,
 Annihilaturus simul omne quod inde resultat.
 Primus amor Christi sponsa est, primumque resurgunt
 AGNI primitiæ, tunc restauratio rerum
 Incipit, & primæva piis reddetur imago.
 Regnabit Christus, Pax vestra, nec Antichristus
 Ullus erit, regnabit Amor, Regina triumphat
 Sponsa suo sponso tanto dignata cubili;
 In sancta hæc sunt connubia sancta quiete.
 Bella procul, procul arma, enses, & spicula sæva.
 Instrumenta necis placidum vertentur in usum,
 Nullaque gens posthac bellare, aut lacerare discet.
 Illa refrigerii sunt tempora læta futuri!
 Hoc regnum immensi typus est & prœdromus Ævi.
 Sed nondum omne malum nec desit omne malignum:
 Pœna etenim hos sequitur, quicumque in carcere degunt,
 Estque æquum, illa pati, sibi quæ meruere maligni.
 Hic alienum opus efficio, bonitate manente,
 Quæ media in pœna latet, atque in fine patecet.
 Nam quando sunt plasma meum, quoniam ipse creavi,
 Ipse recordabor sanctæ bonitatis avitæ,
 Et memor antiquæ stirpis, recreabor in illa.
 Ipse sui meriti ostendet Mediator ubique
 Pondus, & omnigenum plasma in tua fœdera sumet,
 Nilque hujus perdet, quæret, quæsiatque tandem
 Inveniet, latusque domum obliquata reducet.
 Factum est, pax rediit, rediit concordia rerum,
 Centensusque creaturæ totius & ordo.

O DEUS! o Numen! quo non præsentius ægris!
 O Amor æternus! quos non effingis amores?
 Nil nisi amor Deus ille meus! iustissima pœna,
 Quæ præsens non jucunda est, occultat amorem,
 Qui pœnam & pœna causam sustollet iniquam

Ac veluti turris pyrius, qui sulphurē plenus
 Ipse sibi, dum aliis nocuit, seque ipse peredit,
 Cum conflagaret: sic tristis origo malorum
 Cumque malis ipsis, flammis sublata peribit.
 Nam si materies peccans abit, interit ignis,
 Nil quod carpat habens, perit in pereunte maligno.
 Tunc Deus hoc deforme nocens, a plasmate tollens
 Ipse creaturam salvat, redditque nitore.
 Non secus ac noster Rex Prussus turre cremata,
 Non vacuum sinet esse locum, meliora parabit
 In tali constructa loco domicœnia prisco.
 Sic Deus ablata prima morte, atque secunda,
 Carceribus demtis nigris, tentoria ponet
 Magnifica, & claris prætoria sancta pyropis,
 Nil quod dedeceat, conspectum lædet amœnum;
 Omnia pulchra, augusta, decora, atque amplanitebunt.
 Omnia tunc vivent, tunc & natura resurget
 Sordibus excusis rediviva. & carcere rupto
 Inferni valvisque nigris, undabit in auras
 Victrix flamma suas, sibi quondam rapta reposcet,
 Tum discincta caput, circum sua tempora læta
 Æthereas vibrare comas, & spargere cœlo
 Incipiet, lucemque suam sine nocte perennem.

O DEUS! o quis de capiet? quis noscat amorem?
 Ipse Tibi solus, nulli nisi cognitus a Te.
 Sunt Tibi ab antiquis opera omnia cognita ab ævis.
 Perque voluntatem sunt, quæ sunt, atque creantur,
 Per magnum æternum, quod apud Te est, condita VERBUM,
 Quod Medium est Mediator, & est sapientia CHRISTUS.
 Hic jam tum Medicus fuerat lapsus ante, lucemque,
 Venturo Medicina omni Panacœa nocivo,
 Christus hic AGNUS erat prævisus origine mundi,
 Debuit ipse mori, quo mortem tolleretur omnem
 Morte sua, morbum tollendo, hunc sorbuit in se,
 Mundi totius peccato factus in alto
 Peccatum, pesti pestis, raptoribus atris
 Raptor, & everfor totum evertentibus orbem.
 Sic AGNUS solus moriendo RESTITUIT REM,
 Quæ non restitui poterat, nisi cesset iniquum.
 Chemicus ergo prius pretiosa a velibus aufert,
 Discrimenque facit purum inter mysticus Aron,
 Inter & impurum, ut pastor discernit ab hædis

C

Agni.


Agniculos & oves, devictis hostibus ut REX
 Destruit infernum, mortem primam atque secundam.
 Ante eunt hæc cuncta, polus, tellusque recedunt,
 Antiquata prius, surget nova terra, polique,
 Sordibus Antiquis, flamma censore crematis.
 His ita perfectis, fit RESTAURATIO MAGNA,
 Pristina forma redit PRIMI cœlestis ADAMI.
 Hæc ita decrevit Deus ante exordia mundi,
 Hæc sic exsequitur; nova fiunt omnia, & AGNO
 Omnia sunt subjecta, Patri, cui subditus ipse
 Regna accepta iterum, nova facta ubi omnia, tradet.
 Tunc laudat Natura Deum, spatia omnia laudant
 Magna Creatorem Magnum, laudatur & AGNUS,
 Per quem pacatus totus reparabitur orbis.
 Omne malum, nocuosque ignes pios *Ignis Amoris*
 Fortior inferno comburet, & omne novabit
 ple Deus, qui erat omne, & erit Deus omnia in omni.



e.
n.
m
in
be
al
m
er
en
ge

um
8.
a-
u-
36,
vine
gno
35.
post
qui
711.






ALVENSLEBEN

Le

82







TURRIS NITROSA
BEROLINEN
SIS,

sibi & aliis nocens,

& pyrio pulvere suo
conflagrata,

Carminè Heroico descripta

JOH.

ap

